

Cap. LXX. Rubrica de ioculatoribus.

Ordinamus quod, si quis fecerit nupcias in civitate Ter-
gesti vel eius districtu, habeat libertate[m] providendi
illis iocultatoribus venientibus ad dictas nupcias vel quos in-
vitavit ad suam voluntatem; non invitatis venientibus // nil 277 B
dare debeat nisi comedere, si voluerit. ¶ Et si aliquis iocu-
lator extra civitatem Tergesti missus fuerit de foris alicui civi
Tergesti, quod talis civis possit sibi dare unum grossum et
non plus ad suam voluntatem. ¶ Et nullus ioculator audeat
10 pulsare aliquod instrumentum die veneris, sub pena quadra-
ginta sold. par. pro quolibet contrafatiente, et si non habuerit
unde solvere, stet per unam diem ad berlinam comunis.

Cap. LXXI. Rubrica de recuperando equos.

Ordinamus quod potestas cum suis iudicibus civitatis Ter-
15 gesti teneantur et debeant in capite cuiuslibet mensis
congregare facere maius conscilium, in quo consilio prepo-
nere debeant de ¹⁾ recuperando ¹⁾ equos pro bono statu civi-
tatis Tergesti, et hoc sub pena libr. quinquaginta par. pro
potestate et libr. vigintiquinque par. pro quolibet iudice civi-
20 tatis Tergesti.

Cap. LXXII. Rubrica de leprosis sive habentibus lepram.

Statuimus quod dominium Tergesti mittere debeat et te-
neatur incontinenti pro medicis comunis Tergesti, et ab
25 ipsis scire et inquirere sacramento si in civitate Tergesti sunt
aliqui leprosi, sive malosi cives vel habitatores Tergesti, quos
statim eidem dominio denunciare teneantur, et ipsis sic de-
nuntiatis tunc dominium precipere debeat eisdem quod nullo
modo exire debeant de domibus eorum habitationis neque ire
30 per civitatem Tergesti. ¶ Salvo ad eorum laboreria extra ci-
vitatem Tergesti, et hoc sub pena decem libr. par. pro quolibet

¹⁾ Aggiunta sul rigo.